

AD
EXERCITATIONEM DICENDI
IN
DOCTRINA MORUM,
DIE CRASTINO,
FINITIS SACRIS,
IN AUDITORIO MAJORI,
a
DISCIPULIS,
INFRA NOMINATIS,
INSTITUENDAM,
VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS. FAUTORES
& AMICOS,
PER OFFICIOSE & HUMANITER
PRAESSENTIBUS LITERIS
INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/R.

CYGNÆ,
Literis FRIDERICIANIS.

L. Bern.

De ...

Lingu. Ger

rec.

9966



Ehemias Grew, Societatis regiae apud Anglos olim Secretarius, anatomas edidit ventriculi & intestinorum, tum eorum animalium, quae carnibus vescuntur, ut mustelæ, furonis, putorii, felis, canis, vulpis; tum eorum, quibus insecta pro cibo sunt, ut talpæ, erinacei, sciuri, gliris; tum eorum, quae fruges & gramina simul vorare amant, ut cuniculi, equi, porcelli; tum & illorum, a quibus famem gramine decerpto domari videmus, ut ovis & vituli. (a) Mihi nunc liceat sectionem cuculi proponere, non, ut ille fecit, Medicorum cultro, sed ut literati & Philosophi solent, eruditorum ingeniis. *Grammatici*, origines vocum sectantes, Cuculum a $\kappa\upsilon\kappa\upsilon\sigma$, cucus, antiquata vocula, derivant; & ab amissa Radice cucare: unde diminuens, cuculus, & cuculare Verbum, huic avi proprium, quæ suum cucu toties ingeminat, (b) & illud Poëtæ: Et cuculi cuculant. (c) Quamquam $\kappa\omicron\kappa\kappa\upsilon\sigma\mu\delta\varsigma$ etiam gallis gallinaceis tribuatur. Notum est literatis proverbium: $\delta\tau' \acute{\alpha}\nu \text{ N}\acute{\iota}\beta\alpha\varsigma \kappa\omicron\kappa\kappa\upsilon\sigma\eta$, h. e. cum Nibas coccyssaverit; quo idem significatur, quod alias dicitur: ad Calendas Græcas, ad Nonas Ebraicas, i. e. nunquam. Tradunt enim in Thessalonica Macedonia civitate vicum esse, cui nomen Nibas, quo in loco galli nunquam vocem ederent (sicut alicubi cicadæ obmutescunt.) (d) Deinde in nostrate lingua voces, a variis dialectis pendentes, animadvertunt, quales sunt *Suckguck*/ seu *Kuckuck*/*Gauch*/*Suckauch*/*Suggauch*/*Sucker*/*Suckhuser*. (e) Porro alias res, idem nomen sortitas, attendunt; citantes florem, Cuculum, die *Gauch-Blume*/ alias Veticam, Armorariam pratensem, (f) quem florem Galenus uvam lupinam vocat, aitque, eum in hortis nasci, ramos plures ac diffusos habentem, folia majora & latiora; grana autem rotunda, uvæ granis similia, primum quidem viridia, post, ubi maturuerunt, nigra proferentem, vimque stringendi & refrigerandi bene in eo inesse. (g) Citantes Panem cuculi, trifolium acetosum, Alleluja, *Suckauch-Klee*/*Buchampffer*. (h) Quam herbam non cum alia, cuculli nomen sustinente, confundendam docent, quæ ita appellatur, quod semen in folliculo, tanquam in cucullo (capitis tegumento) contineatur. (i) Citantes piscem, cuculum, quem Galenus inter pisces duræ carnis refert, & qui ægre conficiuntur, succosque crassos & falsos in corpus distribuunt, (k) easque ob causas fertiori ventre indigent. (l) Citantes Cuculum Medicorum, h. e. os in imo sacri offis positum, tribus propriis partibus constans. (m) Distinguentes etiam voces similes, ne confusio fiat, videlicet Cuculum a Cucujo Peruviano, qui capite noctu lucente discernitur ab eo, quem describit Mousetus. (n) Aliudque esse ostendentes *Cauculum*, pedisequum, puerulis comitem datum; aliud *Caucum* vel *Caucatum*, i. e. Cyathum; (o) aliud Cuculum. Demum usum vocis, cum alias, tum in proverbiiis, expendent. Poëta de cuculi nomine solliciti ambigere videntur, correptane, an producta syllaba media dicendum sit? Nam supra datam originem qui sequuntur, illi in vocis diminutione (Deminutivo) secundam ab ultima corripendam censent: quæ mensura usurpatur interdum a Poëtis, etiam Autore Philomelæ, quem vulgo ipsum esse ferunt Ovidium. At qui aliorum Poëtarum autoritatem respiciunt, Horatii in primis, qui ita: magna compellans voce cuculum, (p) & Plauti: At etiam cubat cuculus, surge amator, i domum; (q) contrariam tenent sententiam. Jocosque aliquando celeberrimum nostrum Daumium, in hoc genere insigniter excellentem, interroganti, quanta esset penultima in Cuculus? respondisse memini, quia avis cuculans Accentum poneret in ultima, cucu in clamans, penultimam producendam potius, quam corripendam videri. Licet autem usus utrumque admittat, exemplis utrinque se offerentibus; potius tamen producta, quam correpta syllaba uteretur. Sed suavius fortasse fuerit, audire lusum ingeniosos vatum, avem nostram in theatrum suum producentium. Festivum poemata Bedæ venerabilis succurrit jam mihi. Hic enim in laudem Cuculi Eclogam scripsit, in qua Ver & Hiemem certantes facit; illud Cuculum advocans, ut ore ferentem flores, ut mella subministrantem, ut domos ædificantem, placidasque undas navigantem, denique ut soboles generantem, lætosque agros gramine vestientem; Hanc contra detestantem cuculi adventum, propter hybernas voluptates, quando hieme quieti, epulis ac poculis litare liceat, atque a laboribus rusticis & bellicis operibus abstineatur. Tandem arbitri Palæmon senex, & Daphni junior Veri apponunt calculum, sic finientes carmen: Tu jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes, omnia te expectant, pelagus, tellusque polusque, salve, dulce decus, Cuculus per secula, salve. Aliam Eclogam idem Venerabilis in mortem Cuculi composuit, Menalca & Daphnide acerbum ipsius factum deplorantibus. (r) *Rhetores* fictionem nominum a sono factorum ($\acute{\omicron}\nu\mu\alpha\tau\omicron\pi\omicron\iota\acute{\iota}\alpha\upsilon$) Cuculi quoque exemplo illustrent; quod, sicut a sono naturali pavus tinnit, acredula mutilet, turnus tritulet, sturnus pisitet, perdix cacabet,

bet, anser gratitet, palumbes plaufitet, corvus crocitet, graculus frigulet, ciconia clotaret, apis bombilet, bubo bubulet, ulula ululet: ita cuculum cucare, cuculare aut cucurire appareat. (f) Et quamvis ipse sonus cuculi diversas apud gentes diversis modis flectatur; non tamen ipse alius fit, sed idem prorsus: ut ab eodem fonte nihilo fecius diversitas illa modorum promanet, adeoque unum sono fit v. g. κόκκυξ Græcorum, cuculus Latinorum, cocu Gallorum, Kuckuck Germanorum. (t) Monent ulterius, Danos cuculum marinum, Seehan appellatum Germanis, ad alium sonum, quem pinnis edit, dum sive capitur, sive læditur, Kuv vocitare. (u) Crebro & in Rhetorum scholis κόκκυξ αὐδῆς auditur, tanquam crambe toties repetita cum tædio audientium, & vox ingratiſſima auribus. Hunc Coccysmum æque horrent *Musici*, ut fidicinem, semper eadem chorda oberrantem. Prævit ipse Lutherus suo iudicio *Musici*, cum de proprietate linguæ sanctæ differens: Ebræos Prophetas, inquit, velle cogere, ut Germanice loquantur, perinde est, ac si philomelam quis cogeret, uti dulcissima sua melodia relicta, utriusque sonum cuculi vocem imitaretur. (w) In hac tamen sylvestri, sed odiosa Musica cuculi animadvertunt cantores, avem, quasi erubescens, secum sæpe certare, sæpe vocem paulo aliter & ad æmulationem sui attollere, potissimum si diu cuculavit, aut fugam parat. Tunc enim altius atque alacrius sublata voce, petulante quadam modulatione variationem intendit: nisi quod in diebus canicularibus eam minus recte explanat, & jam languens quærat latebras. *Physici* multa hic differenda inveniunt. Naturam & formam cuculi designare oportet; quod sit avis neque ad uncis unguibus, ut accipiter; neque capite similis accipitri: sed ea utraque parte columbum potius, quam accipitrem repræsentet; soloque colore alitem istum rapacem imitetur, præterquam quod accipiter maculis distinguatur, velut lineis, cuculus autem tanquam punctis: unde & nostri hominem, qui variolis laborans convaluit, ob maculosam cutem, cuculum nominant. Iuvat J. Cæs. Scaligeri ingenium hoc loco inspicere. Is animalia quædam simillima probaturus; concretionem vero & mores dissimiles prorsus, exemplum cuculi subicit & accipitris, quæ aves, demto rostro, una modo videantur avis esse; earum autem naturam tam cohærere, quam Placentini & Genuensis. (x) Præterea considerandum, cuculum non in nido a se facto ova parere, ut in saxis nidulari dicatur; sed in nidis minorum avium ea deponere, præcipue palumbis, alaudæ, luteolæ, curruæ. (y) ~~Causam naturæ scrutatores~~ edocent, quia cuculus sciat, se exosum esse aliis avibus, se meticulosum ac imbellem, se adeo frigidæ naturæ, ut viribus propriis ova nequeat excludere. Ne igitur suum genus pereat, alienos nidos, aliena fomenta opemque alienam quærere necessum esse. (z) Quod si istos nidos ovorum vacuos reperiat, non eo divertere; sed in eos, ubi intus ova sint, atque iis sua admiscere. Si complura ova offendat, ex iis quædam eiectione perdere, suis suppositis, quæ ob similitudinem ab illarum ovis internosci non possent. Matrem vero ascititiam, ubi, excluso ovo, avem suis majorem conspiciat, oppido mirari, neque ullius talem curam gerere. Adultum autem cuculi pullum, ad parentes suos evolare. (aa) Singula plerumque ova, raro bina parere: (bb) Tempore hiemali vel in nidis suis, vel in falicibus cavis, vel præruptis & excelsis petris sese abscondere, ibidem latiturum usque ad veris amœnitatem. (cc) Quemadmodum rerum Indicarum Scriptoribus describitur psittacus, qui mense Novembri in trunco densæ arboris lateat, illic dormiens ad veris usque tempus: tunc demum pristinum vigorem recipere, majoremque sibi alacritatem conquirere. (dd) Movent & curiosas quæstiones e. g. An cuculus fiat ex accipitre, quod, præter alios, Plinium affirmare video, scribentem: Coccyx ex accipitre videtur fieri, tempore anni figuram mutans, quoniam tunc non apparent reliqui, nisi perquam paucis diebus. (ee) Et hodie coloni agrorum & venatores nostri in ea opinione versantur. Sed Stagiritis hanc mutationem negat, hac nifus ratione, quod cuculus ab accipitre interim visus sit, quod tamen nulla avis in suo genere facere soleat. Negat idem cum Philosopho Franzius, etsi vocem & colorem mutet. (ff) Nec accipitrem se prorsus occultare, sed aliquando in conspectum provolare, etiam eo tempore, quo cuculus apparet. *Chronologi* tempora cuculi apparentis & iterum se occultantis trutinabunt, observaturi, a vere ineunte ad Caniculæ ortum apparere avem nostram: deinde occultationis tempus subsequi. Agricollæ apud nos ajunt, cuculum clamare primum, cum primum virescentem avenam conspexerit. Pertinet hinc Alciati epigramma, inter quatuor aves, quatuor anni partes indicantes, cuculum nominantis: Advenisse hiemem (sic loquitur Poëta) fringilla renunciat ales. Ad nos vere novo garrula hirundo redit. dicat æstatem sese expectare cuculus. Autumno est tantum cernere ficedu-

(gg) Hinc illud vulgare Germanorum: **Du wirst den Kuckuck wohl nicht schreyen**

schreyen hören. *Medici* Cuculum in pulverem redactum remediis morbum comitalem pellentibus annumerant. (hh) Atque illud dijudicant, quod Phile & Plinius tradidere; Si cuculi quis audiens primum sonos vestigium, dextro quod occupat pede, describat, & deinde pulverem eximat, quocunque subrutum loco disperferit, illo nullos publices creari. Et hunc esse veteris sensum proverbii: Nil accipe, atque id contineto ipsum probe. (ii) *Logici* ad refutandum paratissimi sunt, si e.g. objiciatur, cuculum syllogismos vel Enthymemata saltem componere: Ego sum frigidæ naturæ, E. meis viribus pullos excludere non valeo. Sum exosum omnibus animal. E. aviculis exclusis protegendis impar. Sum timidum animal E. hostium ad spectus fugiens, meas citius deferam, quam defendam. In hoc nido nondum ova reperio collocata E. nec me meo loci ponere tutum erit. Hæc ova meis sunt familia E, tuto mea apponam. Plura ova nidus continet. E. ne mater alienum intermixtum sentiat, præstat unum aut alterum devorare aut frangere. Has & similes cogitationum formas Cuculo Logici abnegabunt, cum Logica sit habitus mentis: mens & ratio in hominibus sit, non in brutis rationis expertibus. *Historici* edisserent, quod Cuculi caro Germanis in cibum non veniat; Italis cibus haud ingratus dicatur. (kk) Quod vernis mensibus, cum auditur Cocyx, conjugari mutuis salibus inter se ludant, dicentes: Tibi canit hæc avis; significantes, uxorem parum vigilanter custoditam. (ll) Quod numeratis ejus cantibus tempus uxoris ducendæ, annosque vitæ reliquos computant: quæ consuetudo superstitiosa gentilium sapit superstitionem. Hi enim Junoni, nuptiarum præfidi apud Poëtas, Cuculum avem dicaverant. Quod Comites de Montecuculi, postea Principes, ex Italia in Germaniam venientes, Marte ad Principum dignitatem ascenderunt. (mm) Quod Galli maritum, natos ex adultera liberos educantem pro suis, cocu nominant; sed minus apte: cum id potius curruæ debeatur. (nn) Quod conventus sagarum in monte cuculi, auf den Guckelsberg celebrari circumferatur. Num Cucupha in Hieroglyphicis Aegyptiorum sit cuculus? (oo) *Oeconomis* prodest cuculi admonitio. Nam seræ arationis remedium indicat. Nempe tempestivæ arationis jactura reparatur, si pluerit; cum cuculus canit quercus in frondibus. (pp) Inde per convitium viatores cuculum vocant serius arantem, aut post æquinoctium vites putantem. (qq) Vel juxta Acronem, eum quasi pigrum appellant, eumque laborem dicunt subire alienum, uti cuculus, cum aliena fovet ova. (rr) Cerevina Wittebergensis cur cuculi designetur nomine, causa vera nescitur: ratio datur a plebe, sed ridicula. *Ethici* ponderabunt proverbialia Græcorum: μηχανικώτερος κύκλυς, cuculo astutior; Latinorum; Ingratus cuculus, quippe cum cuculus non modo pullos curruæ genuinos, sed ipsam quoque nutricem suam, a qua est educatus, devorare dicatur; Germanorum: Hole es der Guckuck/ formula maxime detestanda. Der Guckuck schreyet seinen Nahmen aus. Du lobnest mir / wie der Guckuck der Graßmücke. Imprimis ad cognitionem sui avis hujus probrosæ nomen & canticum deflecti posse viderur. Ita enim Walterus, quo duce ad hanc Anatomem deductus sum: Cuculus cum nomine, tum coccyfimo suo crebriore, velut fucit ihu/ τὸ γινώθῃσι αὐτὸν commendans, serio vult ac præcipit, ut unusquisque suam naturam, mores ac officium subinde intueatur, atque iisdem se dignum gerens, longum valere jubeat πολυπραγμοσύνην. (ll) Hac tanquam πανσπερμία eruditus ad præclariora meditanda: discipulis autem meis ad sui cognitionem diligentius instituendam, occasionem suppeditandam existimavi, hoc maxime tempore, quo Avis considerata auram suo sono resonare docet. Sed & discipuli nostri

THEODORUS FLEISCHERUS, Tzschopavia-Misnicus,
GOTTLOB SALOM. HERTELIUS, Cygnea-Misnicus,
DANIEL DOST, Hermsdorffensis, condiscipulis suis idem illud aureum, Nosce te ipsum, commendantes, primus quidem raritatem, secundus necessitatem, tertius autem utilitatem ejus probabunt. Quorum studium idcirco Auditorib⁹ O.O.H. commendatione dignissimum reor P.P. Cygneæ, d. 26. Apr. 1711.

(a) Act. Erud. Lips. Mart. 1682. (b) Isidor. l. 12. c. 7. d. Etymologiis. Zechendorffii Lexicon Amussatum & Lexidion Latin. MSta. (c) Autor Philomelæ. Duretus in Thesuro lingvar. c. 89. (d) Erasmi. Chiliad. 3. Cent. 3. 4. 7. (e) VVirfungi Urßney: Buch p. 168. (f) Joh. Bauhinus in Hist. fontis balneique Bollenfis l. 4. p. 191. (g) Tom. VIII, e. 83. (h) Nomenclator plantarum. Francof. 4. 1562. (i) Humelbergii Commentar. in herbam Vetoniam Musæ p. 219. (k) Tom. II. l. 3. c. 30. (l) Ætii Tetrabibl. l. 1. ferm. 2. c. 143. (m) Castelli Lexicon Medicum. (n) In Catalogo Rariorum rer. nat. &c. (o) De la Cerda Averfar. sacr. c. 17. & 23. (p) l. 1. Sat. 7. (q) In Asinar. scen. II. Act. 5. (r) Dornavius Amphitheatr. sapient. p. 456. (s) Autor Philomelæ. (t) Ol. Borrichius de caus. divers. ling. (u) Ol. VVormius in Museo. (w) VValtonus d. ling. Ebr. Prolegom. 3. (x) de Causis plantarum l. 2. p. 150. (y) Aristotel. Hist. Animal. l. 6. c. 1. (z) Arist. l. c. 120. c. 29. d. generat. animal. c. 1. Plin. l. 10. c. 9. (aa) Ælianus l. 3. c. 30. (bb) Arist. Hist. Animal. l. 6. c. 7. (cc) Franc. Hist. animal. l. 16. Part. 2. (dd) Camerar. Emblem. 46. Volatil. (ee) l. 10. c. 9. Hist. N. (ff) Hist. Animal. c. 16. Part. 2. (gg) In Epigramm. (hh) VVirfungi Urßney: Buch. (ii) de animalium proprietate p. 35. conf. Loniceri Herbarium p. 327. (kk) Sperlingius Institutionum Physic. l. 3. c. 5. (ll) Erasmi. Chil. 3. Cent. 5. 84. (mm) Allgemeines Historisches Lexicon. (nn) VVossius d. Idololatr. gentil. 3. c. 82. (oo) Gesnerus in Mithridate. (pp) Hesiod. in oper. & dieb. 2. [qq] Porphyr. in Horat. Sat. [rr] In Horatium. [ll] Gnomolog. Histor. proverb. p. 42.

Hermsdorff 99/6